Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1285
Quelle:
Copyright:

Subſcriptum: *Auinione die XXI. menſis Julij* (absque anni nota) *Geraldus de Podio falconis et alij ſacri palacij apoſtolici Auditores, ac veſtri humiles oratores.*

XXXI. *fol.* 241. *M. Henrici de Haſſia Tractatus de Contractibus*, qui incipit: *In ſudore vultus tui* &c. et jam *Codd.* aliis pariter indicatus eſt.

XXXII. *fol.* 282. p. 2. *Sermo de periculis Eccleſie. Hunc ſermonem fecit magiſter Nycolaus Oerem* (Orem, Horem, Oresmius) *Coram papa Vrbano quinto et Cardinalibus In vigilia natiuitatis Dominice que fuit quarta Dominica adueuitus Anno domini M° CCC LXIIII pontificatus ipſius Anno Secundo.* Indicatus *Cod.* CCCXLII. ſed hic erratum in anno; *Vigilia* enim *Nativitatis* anno 1364. incidit in tertium *Urbani.* Ad calcem adtexta eſt ſequens Nota: *Quod magiſter predictus fuit nacione normanus Cancellarius pariſienſs. cuius auctoritate et confirmacione licenciantur magiſtri ibidem. Et in ipſo ſermone preſcripto dominus papa lacrimatus eſt, ut narrarunt, qui viderunt. Quo expleto quidam cardinalis, qui poſtea factus eſt papa ſ. Gregorius XI. dixit ad prefatum magiſtrum, Vos hodie miſiſtis manum in chriſtum domini. At ille reſpondit, Si male locutus ſum, teſtimonium perbibe. Ego quidquid locutus ſum, eſt ſcriptura ſacra et canonica. Vt autem verificaretur effectus huius ſermonis, poſt obitum prefati domini pape gregorij XI. cepit ſcisma in eccleſia tam grande, quale nunquam legitur ante fuiſſe, et iam ultra annos XX. durauit nimis periculoſe.* (Scriptum hoc igitur circa an. 1399) *Item prefatus magiſter quoque coactus a domino papa accipere epiſcopatum Invito ipſo et renitente.* Quod ultimum, ut cetera vera ſint, claudicat. *Oresmius* enim primum anno 1377. et quidem a *Carolo* V. Rege Francorum deſignatus eſt Epiſcopus *Lexoviensis*, ut ipſe ait in *Praef.* ad *Ariſtotelis Politica* et *Oeconomica* a ſe gallice reddita. Vide *J. Launoji Acad. Pariſ. illuſtr.* T. II. p. 457.

XXXIII. *fol.* 287. *Epiſtola Luciferi.* Initium: *Lucifer princeps tenebrarum triſtia profundi regens* &c. *Codd.* pluribus, ut docet *Index*, obvia.

XXXIV. *fol.* 288. p. 2. Obſervatio brevis *de Redemptionibus* Cenſuum. Incipit: *Si communitas aliqua vendidit redditus aliquos annuatim ſoluendos apponendo pactum redimendi, ſic diſtinguit Jo. de Lignano* &c.

XXXV. *fol.* et *p. ead. Articuli hereſium in Maguncia.* Initium: *Anno Domini M° CCC° XC° circa feſtum ſancti Michaelis In Maguncia inventi ſunt iſti articuli hereticorum Waldenſium.* Enumerantur porro XVII. quorum primus: *Quod ſacerdotes qui repreſententur a iudeis et chriſtianis, non poſſunt conficere corpus dominicum.* Ultimus: *quod confeſſio que fit in ambone non valeat quidquam pro populo ibidem confitenti ſed eſt vnum figmentum.* L. V. *Rer.*